

ille qui ipsum homicidium super se susceperit non debet esse sub poena, nisi in tanto quantum ille homicida habet. Alia omnia placita, de quibus reclamatio venerit ante vicinos, debent esse ad emendandum in potestate vicinorum, & postquam emendatio facta fuerit ante vicinos, non debet removeri a potestate: & si aliquis invenerit aliquem hominem in suo damno, & ille qui damnum dederit, voluerit dare pignus, si ille, cujus damnum est, percusserit eum alapis, aut aliquo flagello, tamen non multum graviter sustinet sibi ipsum dedecus: & totum hoc quod consules communis Gazingi fecerint aliis hominibus ipsius loci ad honorem isti Marchionis, & ad honorem omnium communium Gazingi non debet esse sub occasione potestatis: & illos bonos usus, quos praedictus Marchio hominibus Gazingi dederit, non rumpet nisi legali iudicio: & si Rex venerit in Logabardia, & collegerit forium, supradictus Marchio poterit defendere homines de Gazingi, quod non dent forium ad Regem; tunc debent dare praedicto Marchioni pro uno quoque iugo bouum, & illi homines qui habuerint quantum bubulus solid. tres, & manuale debent decem, & octo: & homines de jam dicto Gazingo debent facere hostem, jam dicto Marchioni tribus vicibus per annum per tres dies ad illorum conductum, & si ultra tres dies steterint in hostem, debent habere conductum Marchionis. Insuper praedictus Marchio pro se, & suis haeredibus per bonam fidem promisit hoc, quod in hoc breve rumpere non debet hominibus Gazingi, poenam vero inter se posuerunt jam dictus Marchio, & homines de Gazingo qualis partis ex eis rumperet hoc quod in hoc breve &c., aut rumpere tentaverit, ut componat parti fidem servanti poenalibus centum argenti denariorum bonorum Secusinarum, & denar. quaque tabul. meaglam (*medaliam*) unam secusinam, & post poen. sol. hoc breve in suo robore permaneat, factum est hoc in loco Gazingi feliciter.

Signum | | manus ipsius Villielmi Marchionis qui hoc breve fieri rogavit, ut supra.

Archiepiscopus Ebriennensis, Anselmus Valentia, Petrus Moltura, item Petrus Bozolini, Vido Boca, Rogerius Moltura, Otto Pius, Otto Gastaldus, Obertus Pelaus, Johannes Afnavius, Nicolaus Jacobus de Calamandran, ind. sunt testes. Ego Jordanus interfui, & hoc breve ad memoriam recolendam subscripsi.

Confirmatio possessionum, & jurium Ecclesiae S. Martini de Gamundio ab Alexandro III. Canonicis ejusdem Ecclesiae concessa.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Ecclesiae S. Martini de Gamundio tam praesentibus, quam futuris in eadem Ecclesia canonicis substituendis in perpetuum. Quoties a nobis petitur, quod religioni, & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium imper-

tiri. Quocirca, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar praedecessorum nostrorum felicitis memoriae Anaxtafii, & Adriani Romanorum Pontificum, praedictam Ecclesiam, in qua divino emancipati estis obsequio, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti privilegio communitimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia inpraesentiarum iuste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis Ecclesia omnium sanctorum cum parochia, & omnibus pertinentiis suis, Ecclesia S. Lazarii consensu fratris nostri Wilielmi Aquensis Episcopi, & Amici Buacii ejusdem Ecclesiae fundatoris, & universitatis infirmorum, ut ex scripturis supradictorum manifesta insinuatione cognovimus, cum parochia, & possessionibus ipsius Ecclesiae fundatoris; vobis concedimus praeterea jus parochiale in Ecclesia S. Petri, jus parochiale in Ecclesia S. Jacobi, jus parochiale in Ecclesia S. Mariae de Campis, jus parochiale in Ecclesia S. Andreae vobis concessum, jus Parochiale in Ecclesia S. Trinitatis, & in his omnibus supradictis Ecclesiis jus parochiale tam in decimis, & primitiis, quam in agrotantium poenitentis, & morentium sepulturis. Ac haec Apostolica auctoritate inhibemus, ut nulli omnino liceat in parochia Ecclesiae vestrae novum oratorium sine assensu Dioecesei Episcopi, & vestro aedificare. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat supradictam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra conserventur eorum, quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva nimirum Apostolicae Sedis auctoritate, & Dioecesei Episcopi Canonica iustitia. Sique igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit. Secundo, tertioque commonita, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque in Divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo corpore, & Sanguine Dei, & Domini nostri Redentoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax D. N. J. C., quatenus, & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Sign.

Ego Alexander Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Ego Ubaldus Praebiter Card. tit. S. Praxedis.

Ego Manfredus Praeb. Card. S. Sabinae. Ego Cencius Praeb. Card. S. Laurentii in Piscina. Ego

Hyacinthus Diac. Card. S. Mariae in Cosmedin.

Ego Johannes Card. S. Angeli.

Dat Anagninae per Mariam Gratiani Romanae

Ecclesiae Notarium X. kal. febr. indict. X. Incarn.